



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stella Mystica**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1607**

Pio Lectori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10014**

# PIO LECTORI.



*H*ymnus AVE MA-  
RIS STELLA,  
in cuius explicati-  
one tractatus hic  
versatur, piissimus  
& accommodatissimus est, uti  
omnibus manifestè liquide, ad  
gloriosissima Virginis MA-  
RIAE laudes concelebrandas,  
atque ad omnia quae nobis per  
mare huius mundi nauigantibus  
& ad Iesum in beatissimo salutis  
portu videndum properantibus  
necessaria sunt, postulanda. Ideo-  
que affirmo utilissimum & valdè  
laudabile esse, hymnū hūc, publi-  
cè & priuatim in prosperitatibus  
& aduersitatibus recitare atque  
decantare. Optandum profectò  
esset, illum ab omnibus eadē cum  
affe-

## PRAEFATIO

affectione ac spirituali sensu  
quocum primus auctor cecinit  
cani & recitari, aut certe cum  
maxima qua fieri posset deuotio-  
ne. Sed quia non omnes myste-  
ria & petitiones in ea contentas  
intelligunt, operapretium mihi  
videtur, ut qui eius intelligen-  
tiam à Deo perceperunt, non in-  
telligentibus manum auxiliatri-  
cem praebeant, illisq; quoad ne-  
cessarium est, illa declarent. Ad  
me quod attinet, iuxta talen-  
tum mihi à Deo concreditum,  
eisdem opitulari decreui: Eni-  
tar igitur quoad potero, ut eis  
mysteria haec & petitiones, iux-  
ta Sacrarum literarum sancto-  
rumque Patrum auctoritatem  
declarem, idq; pia methodo, cum  
hymnus piissimus sit. Primo igi-  
tur. Animam, tanquam ad  
prae-

## AD LECTOREM.

presentem materiam ipsam in-  
troducens, monebo: Eam in  
hac vita peregrinam & exu-  
lem esse iactariq; in medio flu-  
ctuum maris huius mundi, cum  
ingenti periculo, spiritualis  
naufragij faciendi, nisi divino  
auxilio fulciatur. Ideoque sua-  
debo illi ut ad DEVM confu-  
giat, & Beatissima Virginis  
Maria per hymni huius reci-  
tationem auxilium imploret.  
Secundo instruam illum, quo-  
modo super unoquoque versuum  
huius hymni quaternario, me-  
ditationem institueri debeat, id-  
que in forma colloquij cum ea-  
dem Virgine MARIA. De-  
mum eorundem quaternario-  
rum singulos versus resumam  
& quasdam illis considerationes  
multis

## PRAEFATIO

multis documentis & instructi-  
onibus adiunctis, quibus navi-  
gationes huius pericula plenius  
patefaciam, modosque eadem  
evadendi describam, subijciam.  
Omnia tamen brevissimè &  
quasi materiam tantummodo il-  
lis, qui meditationes & consi-  
derationes has amplificare vo-  
lent, subministrando. Ad sty-  
lum quod attinet: planus erit  
& facilis, qualem videlicet  
spirituales libelli requirunt. V-  
tilitas libelli huius, quanta sit,  
illorum relinquo iudicio, qui  
haec pio cum affectu, ingentique  
ad supernam faelicitatem profi-  
ciscendi desiderio legerint. Hoc  
tantum dicam, me ita omnia  
haec accommodasse, ut omnibus

& se-

AD LECTOREM.

*Et secularibus Et Religiosis quorumcunque ordinum seruire possint. Etsi autem libellus hic ad aliud utilis non fuerit, quam ad nutriendam deuotionem erga D. Virginem quemadmodum promittere audeo, laborem meum sine fructu extitisse non putabo: Quod si pariter inuenit ad hoc, ut anima nauigationis sue pericula cognoscant, mediaque qua illis offerimus, atque utilissima esse censemus, amplectantur, ut ab illis se preseruent, optatum desiderij mei effectum me consecutum esse existimabo: Si neutrum horum, hoc solo contentus ero, quod aliorum saluti cooperari tentauerim. Sperans*

*Deum*

PRAEFATIO

Deum, qui mihi bonam hanc  
voluntatem largitus est, cona-  
tum hunc meum, tanquam suae  
gloriae & Beatissimae Virginis  
MARIAE dicatum  
acceptum habitu-  
rum esse.

EXI.